

Exanthemata viva ... / publico examini sistit Johannes C. Nyander.

Contributors

Nyander, Johan Carl, 1734-1814.
Linné, Carl von, 1707-1778.
Uppsala universitet.

Publication/Creation

Upsaliae : Excud. L. M. Höjer, [1757]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/vz43edpt>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

I. N. 7.

EXANTHEMATA V I V A,

Quæ,

CONSENS. EXPERIENT. FACULT. MEDICÆ
IN REGIA ACAD. UPSALIENSI,

PRÆSIDE

VIRO NOBILISSIMO AC CELEBERRIMO,

DN. DOCT. CAROLO LINNÆO,

EQUITE DE STELLA POLARI,

S:Æ R:Æ M:TIS ARCHIATRO,

MED. ET BOT. PROFESSORE REG. ET ORD.

ACAD. UPS. HOLMIENS. PETROPOL. BEROL. IMPERIAL.

LONDIN. MONSPEL. TOLOS. FLORENT. SOCIO,

PUBLICO EXAMINI SISTIT

STIPENDIARIUS REGIUS

JOHANNES C. NYANDER,

CALMARIENSIS.

IN AUDITORIO CAROLINO MAJ. D. XXIII. JUNII
ANNI MDCCLVII.

H. A. M. C.

UPSALIÆ, Excud. L. M. HÖJER, Reg. Acad. Typogr.

42
VIRIS AMPLISSIMIS,
D: NO PETRO O. HOLMSTEDT,
Rei Nitrariæ DIRECTORI ad Prov. Calmariensem, Oe-
landiam & Gothlandiam Vigilantissimo.

D. Doc. JOHANNI G. WAHLBOM,
ASSESSORI & MEDICO per Provinc. Calmar. Experientis-
simo, Nec Non Reg. Acad. Scient. Holm. Memb. Dignissimo,

D: NO PETRO CHRIST. BAUMAN,
ADSESS., pluriumque Rer. Metall. POSSESS. Dignissimo.
Viro admodum Reverendo & Præclarissimo,

D: NO Mag. ANDREÆ BRAUNER,
Ecclesiæ Runsten. & adjacent. Parœciarum PASTORI &
PRÆPOSITO, Fidelissimo, Meritissimo.

FAUTORIBUS PROPENSISSIMIS.

Justum. Vinculum. Beneficii. Et. Grati. Animi.
Non. Soluturus.
Amplissima. Nomina. Vestra. Huic. dissertatiuncula. Præposui.
Vestro. Licet. Favori.
Jejunitas. Ipsius. Minime. Respondeat.
Adspiciatis.
Faventi. Oculo. Rudia. Hæc. Elementa,
Et. Quidquid. Prodant. Mancipia.
Concedatis.
Velit. Summus. Rerum. Humanarum. Rector.
Perenni. Vos. Ornare. Flore.
Velit. Vitam. Vobis. Largiri. Diuturnam.
Annos. Felicissimos.

AMPLISSIMORUM NOMIN. VESTRÆ

Cultor humillimus.
JOHANNES C. NYANDER.

Bruks - PATRONERNE

Ådle och Högagtade HERRAR

Herr BALT.G.HOPPENSTEDT,

Och

Herr CASPAR HOPPENSTEDT,

Samt

HANDELSMANNEN, Ådle och Högagtad,

Herr CHRIST. von SELTZEN,

GUNSTIGE GYNNARE.

Wördnad. Och. Erkånsla.

Mot. Oförtjent. Ynnest.

Upfylla. Mitt. Sinne. Med. Omhugfan. Och. Ifver.

Att.

Almänt. Tyda. Edra. Gynsamhets. Prof.

En. Samling.

Af. Min. Skörd. På. De. Lårde. Fålden.

Torde. Få. Råknas.

För. En. Litet. Wedermåle. Af. Tacksam. Bøjelse.

Rena. Suckar. För. Mine. Gynnares. Wål.

Skola. Aldrig. Afstada.

Utan. Såsom. Beståndigt. Offer. Underhållas.

Af. Ett. Brinnande. Hjerta.

En. Allrådande. Hand.

Skydde. Edra. Vår. Och. Syflor.

Och.

Tekne. Edra. Några. Dagar. Utan. Skiften.

Någder. Död.

Blifve. Eder. Sidsta. Handel.

Och. Evig. Sålhet.

Eder. Säkra. Vinst.

MINA GUNSTIGA GYNNARES

ödmjukaste tjenare,

JOHAN. C. NYANDER.



Q. B. V.



N morbis vix ulli, qua origi-
nem, magis Medicis abstrusi
fuere, quam contagiosi: quod
corpus, eatenus sanissimum,
regulas Diætetices ex asse
observans, æque iisdem, ac
voluptatibus diffluens, con-
taminetur, si ægro propius
solummodo accedat. Auge-
tur miratio, quum alios con-
tagiosos morbos indigenos,
uti Scabiem, Rabiem, Tus-

sim ferinam & Dysenterias, singulis fere annis, apud nos,
sponte quasi, oriri videmus, alios vero nunquam absque
conversazione cum ægris, cujus primi natales exotici a-
aliunde, quam ex patria, arcessendi sunt: Pestem, loquor,
Morbillos, Variolas, Siphilitidemque.

Paucas Doctissimorum Medicorum, de horum origi-
ne, conjecturas leviter tantum nominasse juvabit: alii
alias foverunt opiniones: causam horum deducit a PU-
TREDINE *Fracaastorius, Rhodius, Mindererus*: a sulphurea
multi-

multiplicativa PUTREDINE *Hoffmannus*: a miasmate FERMENTESCENTE *Funkerus*: a CORROSIVO quodam *Alpinus*: a SALE VOLATILI acris *Sylvius*: ab ARSENICALI VIRO *Sorbait*: ab IMAGINATIONE & terrore *Rivinus*: alii ab EXHALATIONIBUS virulentis terræ: alii a cælo & conjunctione PLANETARUM: alii a CADAVERUM copia, aërem inficiente: a VERMINOSA putredine *Kircherus*, cet. Ex allatis, quas passim afferunt auctores, caussis, ea nobis vero videtur proxima, qua statuitur, contagium ex vivis animalculis provenire, ut *Rivinus*, ceteri. Hanc itaque viam incedere tentantes, non longius, quam experientiæ nostræ ductus permiserit, exspatiabimur; at, quod credibile est, nullius vero oculis hætenus usurpatum, id nos ut probabilem conjecturam paucissimis adducemus, quam nostram non facimus, sed summis tantum labris gustabimus.

Morbi CONTAGIOSI in eo, plerumque, omnes inter se conveniunt, quod 1.) efflorescant EXANTHEMATIBUS sive internis, sive externis, ita quidem, ut ipsa Rabies pustulis quibusdam sub lingua canum se prodiderit; in omnibus enim contagiosis morbis subesse solet materia exanthematum, quæ efflorescens mitigat febrem, *Hoffm. syst. IV. 122*; 2.) quod inquietudinem corporis FEBRESQUE excitant, vel minimum, certa diei hora, vel versus noctem ingravescent; 3.) quod a DULCIBUS vis morbi augetur, ab AMARIS vero pellitur, & a PINGVIBUS proritur; 4.) quod FRIGORE aliquantum repellitur: & sicuti omne vivum a tepido retocillatur, nimis vero calido propellitur; sic a calore Scabies & exanthema intenditur, & aucto calore ac febre, ad tepidam corporis superficiem usque pellitur; 5.) quod ANTHELMINTICIS delentur, ideoque *Sulphurata* scabiem tollunt, & *Mercurialia*, omnia fere infecta occidentia, Scabiem Siphilitidemque curant, a Peste & Variolis præservant: *Tabacum* minima occidit infecta,

fecta, ejusdemque fumigatio contagium antevertit; 6.) ANALOGIA & pruritus pustularum in contagiosis idem innuit; 7). quod in Scabie & Dysenteria manifesta fuerint oculis: vidit illa in MORBILLIS *Langius*, in PESTE *Kirkerus*, in SYPHILITIDE (Lima cum similia) *Hauptmannus*, in PETECHIIS *Siglerus*, in VARIOLIS *Lusitanus* & *Porcellus*; vermiculos in SERPIGINIBUS aliisque morbis, cutaneis hic etiam vidit.

Insecta ejusmodi minutissima, forte ACHAROS, diversæ speciei causas esse diversorum morborum contagiosorum, ab analogia, & experientia, hactenus acquisita, facile credimus negotio, neque repugnat horum structura & magnitudo; minima enim sunt animalcula, quæ oculus humanus adhuc percipere potuit. *Lynceus* *Leuwenhækius* millia insectorum, quæ, simul sumta, vix centesimam arenulæ partem æquabant, in iis humoribus, quos oculus nudus puros omnino vidit, observavit. Acutissimus *Reaumurius* illud, quod in aëre, æstate, densius conspicitur, & claro quasi vapore micat, non aliud, quem insecta, oculos fugientia, esse credidit. Illa non separatim modo, sed in societate quoque, Apum & Formicarum more degere, singula tamen inter se justum servare ordinem, idem ostendit. Ex sensibus igitur, undis interdum fallacioribus, ad rei impossibilitatem non est argumentandum; æque enim in minimis, ac maximis, Sapientissimi Conditoris artificium elucet. Acharum vivum dum intuemur, musculis eum, nervis, venis, arteriis visceribusque esse præditum, nobis persuadebimus: hæc, ut admodum exigua, adeo tamen subtiles continere liquores, ut per ejus vasa permeare possint, creditu fas est. Unde hæc animalcula provenerint miramur, mirari vero non convenit, dum simul cogitamus, ea, tam proportionem parva, ut fere nulla, in aëre, atomorum instar, volitare, minimasque penetrare rimas, haud aliter ac Mucor e seminibus, ubicunque exstiterit putridum, nascitur.

SCABIES.

SCABIES omnium est communissima, sensibusque maxime pervia. Hanc ex Acharo, Fn. su. 1194, excitari, quem, ad latera pustularum, sub macula quadam, oculis nudis vix conspicienda, latentem acutemque erutum, ungui imponere possumus, cuique liquet. Jam vero, si halitu calidiori illum refocillamus, cutique imponimus, structura sua maxime distingvendus repet rugasque diu scrutabitur, donec rodendo, ut Talpa, cutem subierit, ubi cuniculos construit. Acharus, Fn. su. 1195, magis licet coloratus, huic quam simillimus est. Caseum vel farinam, diu de loco non motam, multa horum millia alere, non raro observamus; hinc evenit, ut, quum nutrices loco Pollinis Lycopodii, Florum Zinci, cet. Infantes excoxiatos *farina* conspergant, ingvina & axillae, eadem adpersae, in Scabiem efflorescant; quod malum, saepius curatum, idem tamen rediit, quoties farinae adpersio iterata fuerit, aliosque infecit infantes. Hinc Farinae & Scabiei Acharos unam constituere eandemque speciem concludimus. D. Zweib, hos Acharos ova deposuisse, fecundissime multiplicasse, pluresque dies extra corpus vixisse, probe observavit. Ideoque Scabiem vestibibus, conversatione & attactu quotidie propagari comperimus. Insecta caloris ut cupida, frigoris vero impatientia, ita calore vehementius incandescit, & frigore scabies reprimitur. Scabie infectos, si Sulphuratis inungantur, aut dolore interno, aut febre correptos fuisse, adeo ut eadem causa, quae externe Scabiem, interne quoque Febrim excitaverit, quae ante reflorescentiam non cessavit, compertum habemus. Quam igitur, hujus phaenomeni ratione, de *Febrium exacerbantium* causis, quae de se scabiem gignunt vehementem, & per sepe contagiosam, fovere licet opinionem? Similis enim effectus, similem habere solet causam, & natura, sibi semper similis, non facile saltus facit; per adeo autem spissas longius progredi tenebras haud sustinemus.

In

In *Scabie ferina* Achari ægrius inveniuntur; exemptos vero, aliam esse speciem, & pedibus quatuor posticis, corpore duplo longioribus, distinctos, oculis armatis evidentissime comprehendimus: & sic non est, quod de causa hujus quisquam dubitet. Ambrosiacis, ut Mosco, Zibetho, Holco odorato, Camphora, Oleo cort. Betulæ vestes & insectorum Musea ab Acharis servamus, quæ interne quoque in expellendis retropulsis hisce exanthematibus feliciter propinantur.

De *Scabie senili* eadem valet argumentatio & experientia ejus quoque Acharos comprobavit. Quum corpus semel inundaverit, sponte cessans haud facile redit.

Aliquot ante annos hædos duos *Scabie*, maxime ore, infectos vidimus: unus eorum moritur, alter vero, cui Moschus porrigebatur, intra trium dierum spatium sanus evasit.

DYSENTERIA.

DYSENTERIA epidemica *Scabies* est intestinorum interna, ut ex dissectionibus cadaverum, *Dysenteria* defunctorum, patet. Hanc per secessus & cloacas communes propagari, ne ullus quidem Medicinæ peritus ambigit. Medicum Danum, priori seculo Helsingburgi, *Dysenteria* sæpius correptum, excreta sua alvina observasse vivis referta, vix observabili motu se agitantibus, infectis, Bartholinus narrat. Quo loco non nobis est prætereunda observatio, rem maxime illustrans. Quatuor abhinc annis Dom. Rolander in ædibus N. D. Præsidis enutritus, *Dysenteria* infestabatur; Rhabarbarinis, Paregoricis, more recepto curabatur. Ostitudo abhinc in eundem incidit morbum, similiterque sanatur; octo vero aliis diebus præteritis *Dysenteria*, tertium, corripitur: in causam omni studio inquiritur, non vero invenitur; quum æger eadem mensa, vitæque genere cum cohabitantibus sanis frueretur. Itaque N. D. Præses ægro, Entomologiæ præcipue studioso, excreta suadet scrutari quo certius adpareret, utrum allata Bartholini ob-

fer-

servatio obtineret, nec ne. Hoc facto, in hisce myriades animalculorum se vidisse, quæque accurate descripta, esse Acharos, & Acharis quidem farinae similes, æger dixit; causam vero non nemo in potum nocturnum conjiciebat: sed neque hæc aliis videbatur sufficiens. Inter edendum bibere insuetus erat: noctu igitur siti pressus e poculo, ex ligno juniperino confecto, potum sæpe hauriebat tenuissimum; vas hocce introspiciens, lineolam quasi albicantem, oculis nudis vix conspicuam, inter costarum rimas reperiebat; armatis vero observavit, omne hoc albidum non aliud esse, quam innumeros Acharos, & ejusdem quidem speciei cum illis, quos in excretis observaverat; potu in vas infuso, non mutabantur, eos vero relictis sedibus, media nocte, potus superficiem petere, ubi ad horam usque decimam a. m. pastum quærebant, dum priora loca repetebant, crebra tandem investigatione invenit. Exemtis Acharis orbiculo humectato impositis, quam parum, varils adfufis liquoribus, irritabantur, & quod per oleum ipsum salui transirent, animadvertit; a spiritu vini lædebantur, maxime vero a TR. Rhabarbari, quod in primis notatu dignum; quum autem Rhabarbarum *Dysenteriae* sit specificum, *Lapathum*que acutum ei valde cognatum, & quotidiana scabiei Medicina, affinitatem invenimus & analogiam. Vasi, ter licet aqua calida abluto, adhærebant; illos in aliis etiam locis quærebat, inque vasis potus acidi & sub doliorum obturamentis sæpius reperiebat.

Dysenteria, quæ Scaniae territorium *Gyngæ* quotannis fere, tempore messis, vexat, æque ac ea, quæ in castris est vulgaris, ex iisdem Acharis, in potu acido latentibus, qui inde per secessus propagantur, & contagium generant, originem suam fortassis traxerit. In Vet. igitur Test. ut quisque militum alvina sua excreta confestim humo obrueret præceptum erat. Scanis igitur & militibus castrensibus nonne prodesset testaceis vel metallinis vasis uti potioriis,
 B qui-

quibus infecta hæc difficilius adhærescunt? Nefas esse ventriculo jejuno potionem ingerere nocturno aëre elanguescentem, ni prius supremus in potu liquor effundatur, vulgus dicere sivevit, causam ignorans; supra vero dicta observatio hos Acharos tunc in motu esse tradit, & hinc hujus consuetudinis origo nata est. Haustu potus vappidi tormina ventris excitantur, quæ, sæpe, haustu spiritus Vini reprimuntur, qui vi Acharos lædendi ad Rhabbarum proxime accedit.

TUSSIS Ferina.

TUSSIS ferina morbus est majoribus nostris minus cognitus, quo infantes maxime afficiuntur. Hujus igitur, epidemia eatenus, (a) miasma tale sit, oportet, ut ex agro facile evaporare, propagari & multiplicari possit; hæc vero prædicata non nisi viventi cuidam tribuenda censemus. Domestica Medicina, quam contra hoc malum Vestrogothi ex Infuso H:bæ Ledi (b) adhibent, quod Narcotica, virulenta & infectis adiota est vi, animalcula heic quoque quasi causas adesse innuit. Huic rei tæneratur egregia observatio D. D. Aff. Wahlbom, qui infanti, hoc malo correpto, Calmariae, Julap. Mosch. Lond. porrexit, quo post biduum, levi quadam Scabie totum ægri corpus effloruit, & Tussis ferina cessavit; aliquo interjecto tempore, eodem malo redeunte, & scabie interiora petente, idem adhibuit remedium, quo eundem, quem antea, de novo obtinuit effectum, & infans omnino sanus evasit. Non-

(a) Sanos pueros domum introisse ægrumque unice convenisse, & Tussi ferina brevi postmodum affectos fuisse, observationes exstant. Medicos ægrum ex agro visitando, miasma hujus secum duxisse, aliosque eodem infecisse, in ore Medicorum est omnium.

(b) Eadem planta Sues & pecudes, pediculis infectæ, sanantur.

ne igitur Tussis ferina, ex Acharorum quadam specie, in organis pulmone dicatis, alimentum potissimum petente, derivari possit? ejusmodi quum remediis tollatur vel leniatur. Quare hæc ipsa, uti Variolæ & Morbilli, vitam nostram semel infestet, nec redeat, æque nescimus, ac cur Scabies senilis sæpius non recurrat.

VARIOLÆ.

Est VARIOLIS magna cum prioribus cognatio. Ex causa in Europa vel America nequaquam quærenda nascuntur; numquam enim sine contagio ad nos transferuntur. Vero est simillimum, eas, eodem modo, excitari, præcipue quum pueri, nimio dulci enutriti, & mitioribus præditi humoribus, magis hoc malo, haud aliter, ac Scabie, infestentur. Aliquot abhinc annis dum Variolæ, Upsaliæ, funestissimæ, omnes fere in vicinio abripiebant pueros, N. D. Præses liberorum suorum collis Moschum, ut mos diu fuit Norrlandiæ, appendit: quo id impetravit, ut pestifero hoc malo intacti permanerint. Variolis nuper infectorum femora fomento, e lacte saccharato, fovere, more receptum est, quo infecta illinc allici quasi videntur; femora enim, pustulis, utpote assata evadunt, reliqua vero corporis pars minori Variolarum multitudine afficitur. In pueris ad Variolas præparandis Mercurialia & Sulphurata adhibentur, & oculis, ne lædantur, applicatur Crocus, quo nautæ indusia, ne supra modum pediculis torqueantur, colorant. Chineses, Variolas inferentes, puri, naribus admoto, Moschum addunt, ut eo Acharos, e sanie, in frontis sinum expellant. Vulnus quoddam Variolis laborantis, non prius, quam malum hocce corpus reliquerit, consolidari, & exanthemata quam maxime ibidem accumulari, a vivo quodam, quod, urgente injuria interna, hunc velut exitum quærit & confugium, provenire quoque videtur.

MORBILLI.

MORBILLI, qua indolem & originem exteram, Variolis valde sunt affines. *Aquilegiæ* semina venenata & *Staphisagriæ* seminibus vicina, contra Scabiem puerorum communiter adhibentur: & aniculæ, nesciæ, liberos, iusto maiorem dosin hujus illis porrigendo, sæpe interficiunt. Est apud nos usitatissimum, Morbillis vel Variolis laborantibus semina *Aquilegiæ* pulverifata vel *Moschum* porrigere, ut ad superficiem corporis expellantur exanthemata, ne viscera interna iisdem nimium contaminentur. In Tussi Morbillis laborantium pertinaci pectorisque opprefione, dum nihil fere juvat, *Flor. Sulphuris* parva & repetita dosi, una cum antifebrilibus, porrecti, specificum audit. Verbo, omnia remedia, Variolas & Morbillos adrepentes vel antevententia vel curantia virtute pollent infecta occidendi vel eorum halitum saltem non ferendo, ad exteriora corporis pelluntur, & in fugam coguntur.

PESTIS.

PESTEM absque contagio e terris exteris, in uribus potissimum maritimis, apud nos nunquam oriri: hanc ipsam multiplicari & propagari: hanc in locis calidioribus, putridis & humilibus pessime grassari: hanc corruptorum aëris statuum ope ingravescere, versus hiemem comprimi, vere autem & æstate adventante erumpere: hanc perpurgatas domos, teste D. Timoli, non ingredi: hujus adventum alios, plerumque, morbos contagiosos prænunciare: hanc eadem semper fervare exanthemata: hujus miasma æque per salivam deglutiri, ac per cutis poros irrepere: hanc ipsam, ex acido, in aëre, elangvescere, acidisque, secundum experimenta D. Sylvil, præveniri: hanc denique, *Moscoviæ* regnum haud ita pridem aggressam, *Mercurialibus*, notissimis contra Scabiem *Acharinam* remediis, feliciter, teste Schreibero, esse curatam: *Moschum*,

schum, præterea, Camphoram, Cort. Chinæ, Pestis curæ, ut idem refert, inservire, observationes sunt verissimæ, quæ Insecta, illius utpote causam, indicare videntur.

Morbos *Siphiliticos*, præsertim quum absque fluidorum contactu, per oscula, pocula, copulam & sudores nunquam nascantur, intima cum Peste conjunctos analogia, ab animalculis quoque ortum ducere putamus.

De *Petechiæ*, *Purpuræque* origine nec non *Uredinis*, opinionem fovemus eandem, hoc vero, observationum defectu, missum faciamus, necesse est.

Hinc constare videtur Febres ejusmodi ex Acharis excitari, utque medicamentis appropriatis pelluntur.

Quamobrem Scabies & Dysenteria apud nos, absque contagio, sæpe oriatur, ex allatis cognoscitur; illius enim causam in farina, hujusque in potoriis reperimus vasis. Contra, insecta Pestem, Variolas, &c. producentia, non apud nos, nisi, vel in corpore infecto, vel alio sibi apto domicilio incarcerata existere posse, veri est simile. Hujus forte rei causa in cælo nostro duriore Acharorumve molliori natura est quærenda; si enim ex crassioribus ad subtiliora spectare fas fuerit, alia insecta apud nos indigena esse, alia æstate, alia denique non nisi in ædibus nostris, ubi foci calor eadem alit, degere observamus: hæc posteriora e terris ad Meridiem magis vergentibus, profecta censemus; horum vero omnium non eadem fuit mollities; insecta enim, quæ de calidissima India huc commigraverint, & in hanc coopta sint civitatem, deprehendimus. Idem hisce quoque animalibus accidit, quorum major frequentia certis quibusdam in locis antea reperta sit, inde vero longe lateque se diffuderint & tristem suum effectum exseruerint. Alia horum apud nos domestica evasisse, explicare torfan potest, cur quidam antea incogniti morbi certis locis orti fuerint & vulgati. Hinc in illum etiam deducemur tramitem, ubi rationem cernere licebit,

cur

cur morbi certi, certis anni temporibus, vigeant; præterquam enim, quod plurimi morbi contagiosi, æstate, cunctorum insectorum optimo trimestri, dominantur: nodus maxime intricatus, &, ex horum animalculorum artificiosa œconomia exortus, quam, per mirandam exanthematum analogiam, cognoscimus, dissolvi fortassis possit; quo enim modo mortuum corpus semper sui similibus exanthematis efflorescere, pro diversitate circumstantiarum interiora & exteriora corporis adeo determinate petere posset? Quid similis, quam ut animalia organisata hæc efficiant? Quid huic actui aptius, quam subtilissima insecta; quorum præcipua vivendi ratio maximos Naturæ Mystas in sui rapuit admirationem? Quid impedit, quo minus exigua hæc insecta in corpore nostro sedes haberent, quum nec a majoribus immunes dici possimus: Vario- rum enim generum, sub metamorphosi, integra insecta & simul adulta, in uno eodemque hominis ventriculo, deprehen- dimus: vid. *N.D. Archiatri & Equitis Rosen in act. Holmens.* 1751. Quid, quod ipsæ Muscæ carnariæ, aliaque iisdem compa- ria, ova sua, in ventriculum excludenda nostrum, immittunt: Mediocres *Ascarides*, magni *Lumbrici* longæque *Tæniæ*, non adeo exigua mole, in nos intrant: ut taceamus *Pu- licem subcutaneum*, *Venam medinensem* & *Furiam infer- nalem*, quæ, per corporis superficiem in idem penetran- di occasionem quoque captant.

Animalia hæc duobus præcipue modis in corpus sese insinuare adparet, quum morbos, in interioribus corpo- ris partibus enatos, consideremus, v. g. quando conta- gium collum & stomachum primum infecerit, per inspira- tionem, procul dubio, descenderunt: morbos vero, in cor- poris superficie primum adparentes, perpendendo, ea per cutis inæqualitatem & poros se intrusisse, constare videtur.

Æque hisce animalculis, ac aliis eorum generum, cer- tum, quo edant ament, multiplicentur, dormiant & quies- cant,

cant, tempus tribuere fas est; Unde horum morborum paroxysmi periodici explicari possunt; adde, quod Ascarides rodendo cibum capientes, certa hora diei in recto pruritum excitent.

Ex legibus naturæ constat, quo minus animal fuerit, eo uberiores gignere prolem, & quum unica Apis; aliquot intra hebdomades, ad 20000 multiplicari possit, hæc quoque, multo iis minora, insecta, proportionem copiosissime augeri sequitur: & hinc credamus, unicum tantum vel alterum horum insectorum adeo uberem, brevi, gignere prolem, ut efflorescat & totum inundet corpus. Qua de re quoque ab inoculatione edocemur, majorem scilicet vel minorem puris copiam ad Variolarum numerum parum valere.

Pestem, Variolas, &c. horrende dominantes, diu latuisse & tandem, per res pelliceas, lintheas & laneas infectas, se dispersisse, Auctores referunt; nec mirum: quid enim impedit, quo minus insectorum horum ova, omnino recentia, plures annos conservari, & postea, modo contagioso, agere posse, quum corpori nostro accedendi occasio illis datur, si mediocri tantum caloris frigorisve gradu & apto domicilio gaudeant, credamus? Bombycis enim ova, tali modo, tres integros annos conservari posse, notum est.

Integro illorum, in corpore, opere confecto, molestisque laboribus exantlatis, tota emoriantur, dissipenturve ex eodem, oportet; in memoriam vero revocantes contagium, ad morbi finem, intensissimum evadere, & insecta hæc desiderium melioris quasi domicilii, pruritu & petitione corporis peripheriæ, significare, hoc potius credimus; postquam enim, ante obitum, in sedibus suis, prope superficiem, nuper ova posuerunt, proles hæc illorum noxia, vel prout sub metamorphosi, velut integra insecta, constituta, per transpirationem forsitan haud difficile emanare

potest. Quare vero non sæpius idem repetant corpus, eandemque violentam non exerceant œconomiam, est inter phænomena miranda, quæ oculis nostris, non verò rationi, patent. Ut nutrices Variolis antea vexatæ, infantes jam Variolis laborantes tractent & mammis suis admoveant, ubi una vel altera macula, in iisdem efflorescens, contagium prodit, usu quidem sæpe evenit: hoc vero, omni prorsus vi destitutum, ne febrim quidem excitare valet. Difficultas licet in tam ancipitibus morbis, accuratiores instituendi observationes, æque ac assumpta Medicorum hypothesis, de generalibus omnium morborum causis, quas alii in massa sanguinea depravata, alii in malo, in aëre prædominante, sese reperisse autumarunt, quod ex una in alteram regionem, quo vento advolaverit, nescimus, obstiterit, quo minus hæc viventes omnium morborum exanthematicorum causæ, non dum sint detectæ: accuratiores tamen posteros hæc animalcula multo reprehensuros artificiosiora, quam nos vel existimavimus, vel extricare ausi fuimus, paulisper affirmare audemus; firmissima enim stat sententia: *natura nullibi magis perfecta, artificiosa magis, quam in minimis.*

Has qualescunque delineationes ulteriori disquisitioni B.L. subicere velit, ut viæ hætenus a paucis tritæ detegantur, novissime rogamus.

Venerabunda sane mente Numinis Perfectissimi opera sunt agnoscenda, quod minimis, &, ut nobis adparent, abjectissimis maximas efficere valet mutationes, quare Ipsi soli sit

LAUS & GLORIA.

